
DE PIO 8. P. MAX. COMMENTARIUM [IOANNES BENEDICTUS FOLICALDI]

Giovanni Benedetto Folicaldi







DE

PIO VIII. P. MAX.

COMMENTARIUM



ROMAE
TYPIS PETRI AURELJ
M. DCCC. XXXII.

VIRO EMINENTISSIMO

D. KAROLO ODESCALCHI

CARDINALI

PRAEFECTO SACRI CONSILII

Causis Episcoporum,

Familiarumque Religiosarum Dirimendis

ET S. R. I. PRINCIPI

EC. EC. EC.

Est hoc in more positum, Princeps Eminentissime, ut ii, qui beneficium aliquod consecuti sunt, memorem animum ostendendi

muneri satis facere exoptent ne ingrati sit tacere apud eos, a quibus idem acceperint.

Quapropter cogitanti mihi quamdam devotionis, simulque reverentiae conspicuo tuo nomine, amplissimaque dignitate, qua fungeris, minus indignam Tibi tribuere significationem ob singularia, quae in me pluries beneficia contulisti, ea tandem mens fuit, si elogium hoc PII VIII. *P. M. latine conscriptum, quod ego multis ab hinc mensibus confeceram, summo Tui nominis splendore exornatum in lucem proferrem, cogitationi meae exitum responsurum, multumque decoris Operi esse affuturum.*

Etsi sciam, et probe sentiam ornatissimum ante conspectum Principis non tam generis nobilitate maxima, quam eruditionis copia, honoribusque merito comparatis praestantissimi, ea dumtaxat esse ferenda, quae Tullii elegantiam aemulentur, tamen cordis humanitas, qua summopere fulges, eos mihi animos suppeditavit, quibus fretus certam in spem induci nunc videor, quod Tu, Princeps Eminentissime, *exiguos hos ingenii fructus libenter, hilarique vultu excipias, ac facile mihi veniam impertiri ne graveris. Nam si hoc munus sit exiguum, si Tui nominis, et*

dignitatis amplitudine nequaquam dignum; habet tamen ex argumenti gravitate, unde non omnino ingratum Tibi possit videri.

Quod dum futurum confido, me animi Tui magnitudini longe et late celebri commendo, et DEUM OPTIMUM MAXIMUM *assiduis non desino obtestari votis, ac precibus, ut Te sospitem diutissime servet, atque fortunet.*

EMINENTIAE TUAE

Romae Kalendis Januarii MDCCCXXXII.

Devotissimus et obsequentissimus
JOANNES BENEDICTUS FOLICALDI
In Firmana Provincia
DELEGATUS APOSTOLICUS

Nemo parum diu vixit qui virtutis perfectae perfecto functus est munere.

Cic. Tusc. 1. 45.

Existimo fore plerosque qui mirentur quod ego exiguum sortitus ingenium, tamen in lucem edere, et publici juris facere decreverim Commentarium nimis leve nec satis aptum, in quo Pii viii Castillionaei elogium continеatur. Etenim summorum facta virorum recensere tantummodo illi contingit, qui Latii sermonem, et eloquentiae florem doctus celebretur, nec me latet in laudibus dicendis hominis longe digni, qui per orbem claro vigeat honore, nihil publicis consignari scriptis oportere nisi sit ingenio perfectum, atque industria elaboratum.

At quoniam eloquio excellere perpancorum est, neque oratoris personam gerere

mihi conceditur, hoc qualecumque opusculum, licet apparatu et copia orationis careat, saltem meum et erga tantum PONTIFICEM, et erga sanctam Apostolicam SEDEM animum observantissimum patefaciet. Igitur annus reparatae salutis MDCCLXI pro divina Christi sponsa felicibus effulsit auspiciis, namque tunc temporis die Novembris XX a Karolo Castillionaeo domo Cingulo, et Sansia Ghisleria Anximea ortum duxerat FRANCISCUS XAVERIUS, quem supremus rerum omnium Moderator, et Arbiter venerandis Petri in Vaticani solio Successoribus addere designaverat ob illud cunctarum virtutum agmen, quod in eo conventurum esse praevidebat.

Ejus Parentes antiquitate generis, ac pietate illustres optime intellexerant, plusquam divitiarum, filiis oportere bonoris, suavium morum, divinae humanaeque scientiae parare thesaurum, quem, ut adoleverint ipsi, non modo in propriam, sed in totius societatis utilitatem adaugere studeant, et valeant.

Isti de prole, quam susceperant, magnopere delectati sunt, et inspicientes Franciscum Xaverium teneris ab unguiculis bonitatis, atque acerrimi ingenii indicia praeseferentem, haud ulli pepercerunt diligentiae ut virentem excolerent plantam, ex qua uberrimum fructum se consecuturos pollicebantur.

Nec eum debitis laudibus ornarem si virtutum, et dignitatis Coelestini iv Castillionaei, ac Pii v Ghisleri atavorum suorum haeredem dicerem; sic enim ostenderem ipsum generoso e sanguine natum, quod non meritis, sed casui tribuendum esse videretur, nisi ex hoc innuere velim eidem tales Deum atavos statuisse, ut is decerpta ab eorum virtutibus, et dignitate exempla praeclara prosequi curaret. Potius haec erunt commemoranda.

Castillionaeus ut primum ex pueris excessit, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, in florenti Auximi Athenaeo multo cum plausu studiorum exhibuit experimentum, mentemque inde gravioribus composuit di-

sciplinis Bononiae Collegii Altodunensis alumnus, quod a splendida Sisti v munificentia Picenae juventutis comodo extructum, opibus valde ditatum, atque eruditissimis moderatoribus ornatum, illius civitatis incolae conspicere gratulabantur.

Felsina pene futurae Castillionaei gloriae praenuncia laeto intuebatur aspectu eum ad ardua Sophiae praecepta, ad moralem et dogmatico-polemicam Theologiam, ad Canonici Civilisque juris scientiam animum intendere, nec non sacrae ac profanae Historiae volumina nocturna versare manu, ac diurna, dum Italicae linguae, et sermonum peregrinorum vehementi illectus desiderio, horum interea haud praetermitteret pulchritudinem degustare.

Graecam, Romanamque Archeologiam tanta edidicit diligentia, ut magnum ex hac etiam sibi nomen compararit. Et mirum qua modestia, quo animi candore inter aequales emicuerit, atque celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigerit.

Optimarum Artium, scientiarumque sublimia stadia adeo feliciter absolvit, ut non parvam sui expectationem apud omnes concitaverit. Uberrimis fructibus ex litteraria institutione perceptis, honoris laurea donatus est, et Romam adivit, dum tanti viri Fama praecederet adventum.

Academia Ecclesiasticae Historiae, et altera Conciliorum, quae eo tempore florebant a sapientia institutae Benedicti, qui hujusce nominis XIV variis ab hinc annis summam rei christianae tennerat, Castillionaeum in suum libenter receperunt, ex quo factum est ipsum difficillima in periculosae pleno opere aleae specimina obtulisse summae doctrinae, qua imbutum esse satis luculenter compertum erat Urbi Catholicae veritatis capiti et magistrae. Exitiale enim jam minabatur bellum disciplinae, fideique Synodus illa Pistoriensis. tenebricoso velamine circum amicta ob tot recentium maximarum congeriem rei Christianae publicae infensarum.

Pius Sextus, qui alta Dei sceptra, vicesque in terris gerebat, ad nefariam a

Christi Ovili perniciem avertendam arma parabat accitis undique Episcopis, et Doctoribus selectissimis, qui milites invicti tanto sub Duce memorandam de hostibus victoriam reportarent.

Hos inter Antistites doctrina enitebat maxima Felix de Paolis Forosemproniensi, dein Recanatensi et Lauretana infula decorus: vir perspicax, qui hominum animum, atque ingenium ex oculis, vultu, et fronte intime inspiciebat, Franciscum Xaverium municipem suum, sibique amicitiae foedere obstrictum censuit accomodum laboris sui adiutorem futurum. Res tanti viri judicium non fefellit; illius etenim usus est opera valde sive disponeret argumenta, sive rationum robur inviseret melius aptum ad dissolvenda penitus velamina, quae circum volitabant fraudes, erroresque veritatis et doctrinae formam induti, dum se se nimium fragilibus Iansenianae simulationis auxiliis commendarent.

Unde horum virorum peritia salebrosam hanc semitam tuto trajecit, et ad prosperum rem tantam, et tot controversiis

implicatam perduxit eventum, ita scilicet, ut fugatis repente nubibus, optata Ecclesiae serenitas pristina rediret.

Castillionaei fama quotidie magis invalescente nonnulli eum domicilium Romae varios jam annos habentem certatim exoptarunt Episcopi in pastorali regimine cooperatorem, videlicet Anagniae vir clarissimus Devoti, cui extitit quoque utilis laborum socius in celeberrimis canonici Juris Institutionibus condendis, quas propriae doctrinae monimentis illustravit, et auxit. Exin Fanum contendit, et ob merita carissimum habuit Antistes Severoli, donec Cardinalis Archetti in Asculeae Cathedrae fastigio sedentis suavibus in litteris expetitus, Asculum venit, ibique pariter vicaria functus est potestate.

Postremo incidit ei desiderium ut ad patriam urbem pergeret, quae ipsum laeto excepit plausu viro eminentissimo Calcagnino Episcopo sedulam in gravioribus negotiis operam daturum. Dehinc majorem Cathedralis Capituli sedem est promeritus, pacatamque in natali solo vitam

trahebat; sed XVIII saeculo labente heu turbo horrendus visu exemplo pulchram Italiae faciem dedecorare minabatur, Christianique ovilis curatores omnes emersura brevi flagrantia praelia, atque animo inconsolabile vulnus eventurum cum lacrimis praesentiebant! Et jam Pius ille Sextus, qui plurimam in Pontificatu gerendo gloriam sibi comparaverat, in exilio vitam amiserat. Factum mirabile dictu! in tanta rerum perturbatione Patrum Purpuratorum Senatus ad Petri Cathedram Pium vii Principem cunctis dotibus cumulatum provexit, qui singulari quodam divini Flaminis consilio Altodunensi Ecclesiae orbatae pastore Pontificem elegit Castillionaeum, in eo scilicet tempore, quo cum christiana, tum civilis societas miserandum in modum per orbem terrarum divexabatur.

Novo suscepto munere diligentissimus adfuit vineae Domini cultor, bonus ac fidelis agricola, atque incredibile est quot labores exantlaverit, quot sudores effuderit, quot vigilias insumpserit, quanta

fuerit innocentia, quanta deinde in omnibus rebus temperantia, quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta demum fortitudine, et humanitate. A docendo nunquam destitit, neque ea praetermisit, quae ad partes superioris perfecte adimplendas spectabant. Juvenum ingenia excitavit, eorum bono consuluit, et cunctorum necessitatibus praesto ita erat, ut vel re et praesidio, vel hortatu et consilio omnibus opitularetur. Quidquid ab officio suo persolvendo supererat temporis id totum aut studio tribuebat scientiarum gravissimarum, aut sacrae Scripturae, sacrorum Canonum, et SS. Patrum lectioni, in quibus erat exercitatus multum, et saepe versatus.

Ast si ego singula, et omnia commemorare vellem ab eo in pastorali munere obeundo peracta ad gregis sibi concrediti utilitatem, ad scientiarum incrementum, ad fidei morumque integritatem sequendam, servandamque, equidem mihi potius vires ac verba, quam praeclari deficeret materia argumenti. Non enim tanta

potest existere ubertas ingenii, tanta dicendi copia, et incredibile genus orationis, quo quisquam possit universa CASTILLIONAEI merita, non dicam complecti orando, sed percensere numerando.

Interea advenerat illud miserabile tempus, quo Sanctuarii lapides iratos inter deturbati aequoris fluctus dispersi, et naufragi vexabantur, periclitabatur Navicula Apostolorum, urgebant venti, aestibus latera fundebantur, nihil jam supererat spei: Gallorum copiae late invaserant Pontificiae Ditionis Provincias, SEPTIMO Pio vincula minabantur, pollnta extiterant templa, fraena licentiae passim soluta videbantur: tunc Montisalti Angelus hostium Religionis improbas non pertimuit minas, non fugam arripuit existimans pulchriorem essa militem in praelio amissum, quam in fuga salvum.

Ipse multis vexatus contumeliis, plurimis jactatus injuriis e sua evellitur Diaecesi, per dissita cogitur oppida exulare, et peregrinationis discrimina sustinere.

Exul egregius inter tot rei christianae publicae pericula induit armaturam fortium, ac fidei clypeum assumpsit sciebat enim non viribus corporis, sed animi, qui superari nunquam potest, vigore dimicandum esse. Quamvis absens litteris docere studuit quas deseruerat oves verbum sanum irreprehensibile, eisque itinera in quibus ambularent, loca ubi firmiter consisterent Apostolica libertate patefecit.

Ast varios post casus, post tot rerum vicissitudines vix Deus Dominus dominantium, Rex regum in multitudine gloriae suae deposuit adversarios, quinquennes compedes disrupit Pius vii, qui Religione, Italia, christiani Orbis populis plaudentibus ad Apostolorum limina revertebatur, et circumdatus tempora vittis triumphalibus venerandam Patrum nostrorum Religionem in pristinum majestatis decus exemplo restituebat, simulque Provincias a Romana Sede abductas consilio recuperabat; statim Castillionaeus ad urbem Altodunensem redire festinavit, ut denuo ipse pastor amantissimus suas am-

plexibus exciperet oves cum quibus magnam diei partem, dum staret Respublica incolumis, jam familiarissime transegerat, pace secura sibi, Deo, et ovibus unice vacaturus.

Verum eximia ejus virtus, opera omni majora praeconio, praestantes, singularesque animi dotes, ac tanta de Religione merita haud poterant exiguo Italae regionis loco diutius circumscribi.

Vox enim Domini de coelo descendit, ac PIVS VII divinae particeps factus voluntatis CASTILLIONAEVM dignum agnovit, qui Caesenatensibus Pontifex constitueretur, Romanoque splendidus ostro sacros inter Senatores sublimem capesseret dignitatem.

Sed brevi post tempore Quirites eum Romae altiora conspexere diligentius supra quam dici possit obire officia, (1) ac de Caesenatensi Tusculanus Antistes renunciatus est.

(1) PIVS VII CASTILLIONAEVM sacris conventibus praefecerat tum illi qui ab impiorum libris proscribendis, tum illi qui a criminibus absolvendis est.

in gravissimarum rerum ministerio gerendo permansit, donec vita functo LEONE XII. P. O. M, purpurei Patres in solemnibus de maximo Sacerdotio comitiis prid. Kal. April. An. M.DCCC.XXIX. triplex Diadema honorificentissimum CASTILLIONAEI fronti imponere certatim studuerunt, forte ut Religio, Italia, Orbis denique universus in OCTAVO PIUM SEPTIMUM redivivum surgere laetarentur.

Is vero gravi affectus est dolore, et animo pene fatiscens amarissime flevit, multa enim erant quae a tanto onere suscipiendo eumdem deterrebant. Humeros suos judicio proprio infirmos, attamen Dei judicio validos operoso tandem muneri supponere non recusavit.

CASTILLIONAEI vitam insignem tot virtutibus, tot meritis, tot exhibitis scientiae suae experimentis testatam paucis exponere conatus sum: nunc res ab eo praeclarissime gestas in Pontificatu maximo dicturus vereor ne hoc genus orationis, quo nunc utor, imminuat summi viri gloriam. Jam vero virtutibus CASTILLIONAEI vel pri-

vatis, vel publicis quae potest par oratio inveniri? non enim illae sunt solae virtutes, quae vulgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculosa rerum perturbatione, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo, quae tanta fuerunt in hoc uno quanta in pluribus Pontificibus, quos aut vidimus, aut audivimus, enituerunt. Quod affirmare non dubito meridiana luce clarius innotescet ex iis, quae narranda suscipiam.

Re sane vera Pius VIII, licet per breve temporis spatium Pontificiam dignitatem, auctoritatemque tenuerit, tamen multa egit, multa constituit, et ad exitum feliciter perduxit in difficillimis praesertim temporibus, ut praestantissimorum Principum, qui eum in summi Sacerdotii altitudine praecesserunt, gloriam nomenque clarissimum fuerit consecutus.

Quos latet Pium ipsis regni primordiis carnis, et sanguinis laqueos non modo effugisse, immo altioris moderamina gerentem Imperii sibi consanguinitate devinctis praecepisse humilitatem, nec passum esse

eosdem assuetam vitae rationem immutare? Sed multo majora memorentur. Neminem fugit quae essent tempora, qui mores, qui motus civilium rerum cum primum ei Pontificale munus assecuto universus populus Romanus refertis plateis, repletisque templis gratulatus est.

Is cunctando magis, instar Fabii Ducis Romanorum celeberrimi, quam novitatis cupidini indulgendo sartam tectam Imperii majestatem, populorum salutem, Pontificiae regionis pacem, tranquillitatemque servavit, ita ut ipse strenuus celebrari possit, peritusque navta, qui sacrae Petri Naviculae nunc huc nunc illuc turbinibus, et Aquilonibus actae gubernacula sapienti consilio moderatus est, atque illam contra ventorum impetum direxit, ac optato in littore collocavit.

Quis unquam aut obeundi negotii, aut consequendi quaestus studio tam brevi tempore tot res componere potuit, quam celeriter ipse confecit? Armeniam Catholicam intueamur infestorum hominum rabio concussam, rerumque novitate per-

turbatam, et afflictam augusto Pii solio pervolutam tantis suae gentis calamitatibus auxilium deprecari. Is protinus petentem sublevat, recreat dolentem consueta sermonis dulcedine, ad potentissimos Europae Principes mittit litteras, ac sedulus laborat, accurrit, praevidet, usque dum illam ad patrias videat redire plagas laetitia exultantem, quae suam antea opem instantius efflagitaverat.

Apostolicorum virorum opera indigent Nationes? Pius designat eis viros Dei spiritu ferventes: sic uberiores pro re catholica fructus percipiantur.

Nec requies animo datur: haereses pro viribus minuere, schismatum calamitati mederi, Barbaros Ethnicos illuminare, Canonum disciplinam inter Clericos retinere, caeterarum Ecclesiae legum majestatem defendere, doctrinae puritatem conservare diligentissime curavit.

Insuper nec tenuere morae ut Constantinopoleos Christiadas gaudiis afficeret, quum illic Cathedram erexerit, quam Antistes Primatis nomine donatus retineret,

ita ut Orientis Regina obstupuerit cernens Nazareni Crucem, etsi tot per saecula suis abditam oculis, in gloriae splendore rursus apparere.

Industrius hic vir, qui noverat prudentiam sapientiae stabili nexu copulatam Principem ostendere perfectum, eique potius patris quam populorum dominatoris affectum inspirare, sapientiae, simulque prudentiae consiliis adjutus se penes supremam tenuit potestatem, nimirum sapientia usus est cum meliorem in formam patrias redigere curaret leges, potentiam adhiberet placidis erga subditas gentes modis, artium, et litterarum tutelam gereret, artificum opera, sapientium scripta protegeret, excitaret. Prudentiae cultor extitit, ut populorum consuleret utilitati, mitiora redderet Pontificiae ditionis onera, annonam inopi turbae conciliaret impertiretur, ubertatem Commercio pararet, augeret, perficeret, foris pacem cum finitimis remotisque coleret, Principum, et gentium benevolentiam promereret, atque de-

mum suas unquam rationes subditorum comodo anteponeret.

Consultissimus Pontifex sacra incorruptae Themidos penetralia ingredi potestatem iis dumtaxat largitus est, quoa juris, legumque peritos, bonisque moribus imbutos aequa lance justitiam reddituros esse existimabat, adeo ut quae aureo saeculo in terram migrasse dicitur mortalium scelere offensa coelum repetere non videretur.

Nullo supremae auctoritatis, qua potiebatur, vinculo devinctum, immo expeditum Judicum integritati justitiae ferendae munus commendavit ne aliquam Tribunal adeuntium partem, a majoribus inducta judiciorum consuetudine immutata, ex Principis favore cum alterius detrimento comodum capere quia judicaret.

Quae cum ita sint, quis est tam ignarus, qui Pii vii non recordetur in consiliis de Republica capiundis diligentiam, in periculis ab ea propulsandis animum, in perferrendis laboribus constantiam, in negotiis explendis studium, vigilantiam, se-

dulitatem? in Pii Pontificatu nihil aliud cogitatum, nihil aliud susceptum, nihil aliud actum esse fateamur oportet, nisi quod Religionis scientiarumque incrementum, desiderium Provinciarum, Aerarii bene perspectum usum, omnium populorum quaestum constituere posse videretur.

Tantam ne hujusmodi pene divina, atque incredibilis virtus tam brevi tempore lucem afferre christianae civilique reipublicae potuit, et quatuor Mundi diversissimas oras admirationis suae fama conjungere!

Plura haberem etiam quae de Pio VIII proderem ex iis, quae egomet vidi aut audivi, sed cui tantam copiam, facultatemque dicendi natura largita est, qui hujus viri scientiam, in rebus agendis publicis peritiam, animi virtutes, mentis magnitudinem, cordis liberalitatem, et beneficia non modo ornare, at merito possit enumerare oratione, cujus facilius esset exitum, quam principium invenire?

Dum Pontifex vere pius dilectus Deo, et hominibus (1) in officio suo pure prudenter

(1) Eccl. 45. 1.

optime moraretur, atque non parva nec pauca beneficentissimi sui in populos amoris testimonia palam exhibere mente voluturet, heu! infirma tentari valetudine cepit, et cum morbi vis magis magisque crudesceret prid. Kalendas Decembris ann. MDCCCXXX placidissime expiravit.

Vixit sibi parum, non satis Reipublicae, diu gloriae: vita sua vigebit memoria saeculorum omnium, eam posteritas alet, eam aeternitas semper intuebitur.

Inespectatam Pii mortem summo cum dolore audierunt omnes praecipue qui eum, eiusque opera noverant, sanctamque ejus vitam collaudantes, principem amicum parentem optimum amisisse cognoverunt.

Nunc tamen erigimus animos dum n. o. m. providentia pene de coelo datum Pio VIII successorem cernimus ss. d. n. Gregorium XVI, qui virtutes viro principe dignas in se uno complectitur, atque sapientiam cum bonitate conjungens in amorem sui, et venerationem omnem fere Orbem rapere videtur.

Sint dies sui sicut dies coeli super terram (1); Is siquidem eam tenens sedem, in qua Apostolicae Cathedrae semper viguit Principatus (2), Romanorum Pontificum, quorum nomen refert, vestigia pulchra egregie sectatur.

Nulla unquam aetas de suis laudibus conticescet.

(1) Baruch. 11. v. 11.

(2) S. Augus. Epist. CLXII

NIHIL OBSTAT
Joan. Baptista Rosani schol. Piar. Censor Philolog.
IMPRIMATUR
Fr. Jos. M. Velzi Ord. Præd. S. P. A. Mag.
IMPRIMATUR
J. Della Porta Patr. Constant. Vicesg.





